

de quibus vigilantes aut cogitavimus, aut egimus: ut mihi temporibus illis multum in animo Marius versabatur, recordanti, quam ille gravem suum casum magno animo, quam constanti tulisset. Hanc credo causam de illo somniandi fuisse. Tibi autem, de me cum sollicitudine cogitanti, subito sum visus demersus flumine. Inerant enim in utriusque nostrum animis vigilantium cogitationum vestigia. At quaedam adjuncta sunt, ut mihi de monumento Marii: tibi, quod equus, in quo ego vehebar, mecum una demersus rursus apparuit. An tu censes ullam animum tam deliram futuram fuisse, ut somniis crederet, nisi ista casu nonnunquam, forte, temere concurrerent? Alexandro draco loqui visus est. Potest hoc omnino esse falsum, potest verum: sed utrum sit, non est mirabile. Non enim audivit ille draconem loquentem, sed est visus audire: et quidem, quo majus sit, quum radicem ore teneret, locutus est. Sed nihil est magnum somniantium. Quaero autem, cur Alexandro tam illustre somnium, tam certum, nec huic eidem alias, nec multa ceteris? Mihi quidem, praeter hoc Marianum, nihil sane, quod meminerim. Frustra igitur consumptae tot noctes tam longa in aetate. Nunc quidem propter intermissionem forensis operae et lucubrationes detraxi, et meridiationes addidi, quibus uti antea non solebam; nec, tam multum dormiens, ullo somnio sum admonitus, tantis praesertim de rebus; nec mihi magis unquam videor, quam quum aut in foro magistratus, aut in curia senatum video, somniare.

Juv. II, 54. Intelligentia est, per quam animus perspicit, quae sunt. Leg. 1. 16. — Communis intelligentia nobis notas res efficit, easque in animis nostris inchoat, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia.

Fin. V. 18. 19. Videamus animi partes; quarum est adspectus illustrior: quae quo sunt excelsiores, eo dant clariora indicia naturae. Tantus est igitur innatus in nobis cognitionis amor et scientia, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Videmus—